

Johann Placcius Arnold Mönnich

Disputatio Philosophica. De Existentia Dei & immortalitate animae rationalis. ex lumine naturae probandis

Rostochi[i]: Reusnerus, 1636

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729459977>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1636

Johann Placcius

Arnold Monnich



D. O. M. A. *Unvollst*
DISPUTATIO PHILOSOPHICA.

DE
EXISTENTIA. DEI

immortalitate animæ ratio-
nalis.

ex lumine naturæ probandis.

Quam

Permissu Amplisissimi Collegij Philosophici in Inclyta
Rostochiensis Academia.


P R Æ S I D E

JOHANNE PLACCIO Thur. Med. Licent.

Habebit publice

ARNOLDUS MONNICH, Lip-
piensis Westphalus.

*In Auditorio Majori horis antemeridianis
X. Septemb.*



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS REUSNERI,

ANNO M. DC. XXXVI.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

An ex principiis naturæ ostendi possit dari DEUM?

THESIS I.

OMnibus innatum est & animo quasi insculptum esse Deum & principem quandam causam rerum omnium procreatricem, quæ facta animantium videt, observat, muneratur atq; ulciscitur, cujus cognitionem, ut ex ipsa natura bibimus, hausimus, attripimus, ita in eandem nos ipsa natura, teste *Mendoza*, vel ignaros & invitos impellit, eamq; densis & confertis agminibus universi mortales docti & indocti, scæminæ & viri, juvenesq; senesq; tam constanter asserunt, ut unius religionis & cultus in Deum amore & Zelo sæpius terrarum orbis Mavortio arserit incendio, nullaq; bella tam ferina immanitate & immani feritate atq; rabie bellentur & alantur, quam quæ religionis & cultus numinis gratia geruntur. Hæc non modo princeps principi molitur, Ethnicus christiano; sed à sorore fratri, ab uxore viro, à matre filio, & filio à Patre indicuntur, tamq; altè & firmiter mortalibus impressa est hæc numinis reverentia, ut amoris etiam igniculos ardentès à natura omnibus animantibus inditos depopuletur & in cineres ac favillas redigat cara pignora natos, quos parentes, veluti animi & corporis sui imagines in sinu & delicijs, habebant, omnibusq; horis, oculis, auribus complexu tenebant & pro quibus perire & occumbere, vel brutorum exemplis edocti, jucundum & honestum sibi putabant, sicut historiae judaicæ nos docent, plures in valle Hinnom filios suos Vulcano tradidisse & Moloch immolasse magnum tubarum clangore & tympanorum strepitu, ne miseri puerorum planctus & ejulatus parentum aures penetrarent. Multas reperias provincias scholis & gymnasijs, literarum & morum cultura destitutas, sine Deo tamen neq; urbem, domum aut vil-

lam vix usq̄ invenies, ut meritò cum *Mercurio Trismeg: in prima*
ser. 11. exclamandum sit: *Extrema pravitas, non recognoscere Deum.*

2. Verum enimvero hæc nostra tempestate, ubi omnia hu-
manitatis & pietatis studia refrixerunt, Sathanae improbitas tan-
tum adversus mortaliū genus invaluit, ut nonnullos etiam
exuberantibus plus nimio eorū criminibus, tantis cæcitate tene-
bris offunderit, inidq; impietatis barathrum, stolidissimam &
quovis malo graviore exitij Voraginem detruserit, ut ipsa eti-
am reclamante natura, viq; eidem quasi de industria illata, quem
ipsa duce & Magistrâ non poterant ignorare, Deum esse infficien-
tur omnemq; religionem inventum esse potentiorum ad coercen-
dos subditos eosq; in officio continendos pro stabilendâ repu-
blica sua causentur, sæviente dubio procul justo Dei judicio, &
propter malitiam eos, excæcante ut *nesciant arcana Dei sap. 2. v.*
12. A quo diabolus mille artifex, ut magis ac magis abstrahat, lu-
as cupidinū & flagitiorum faces ipsis admovet, quas ne restin-
guant concepto numinis timore, lumen ipsis à primordiis induū,
præstuit, vimq; naturalem, qua ad veri Dei cognitionem suopte
ingenio submoveri poterant, usq; adeo obtundit ut impijs ejus
suggestionibus, & internis cogitationibus negent, & toti laxatis
habeis, calcariibusq; veit adhibitis in omne flagitium ruant præ-
cipites. Donec tandem suæ impietatis dignam mercedem refe-
rant. Ejusmodi homines qui quærit, non opus habet Diogenis
lucerna, quos contra rationibus non è sacris literis, quas pro api-
nistricisq; aut siquid vilius istis habent; sed radios solares
naturæ secuti disputabimus.

3. Prius vero ad rem ipsam quam accedamus, sciendum
imprimis, quidnam nomine Dei audito, omnes concipiant &
intelligant; Ens nimirum independens, nobilissimum,
& perfectissimum, cujus nutu omnia geruntur, cujus
prævidentia administrantur universa, quodq; sit causæffici-
ens & procreatrix omnium reliquorum, huic enim necessitatibus
ciræum venti preces fundimus, subito labore pressi cælum su-
spicimus, huic nauta intenta morte, Notisq; futentibus tendit
supplices ad sidera palmas, hujus eques ex equo decedens implo-
rat auxilium, miles marti & morti vicinus vota facit, arbitrans
se ab

se ab eo & videri posse & iuvari in ejusq; manu & potestate esse res humanas, dubias & ancipites sublevare, miserisq; succurrere lapsis, & innocentes respicere, exemplo Trojanorum, qui naufragium passi, & in litoribus Carthaginiensium pauci & inermes constituti, nullo clypeo se contra vim hostium quam metuebant, tutos fore putabant, quam providentia divina, si genus humanum (exclamant) & mortalia remittis arma, at sperate Deos memores fandi atq; nefandi.

4. Sed enim quamvis plurimæ pateant viæ, quibus numè dari ostendi possit, pluraq; insuper ad hoc demonstrandum à pluribus conflata sint argumenta, percipua tamen præ cæteris videtur, quæ ex causalitate sumitur, ut nobis notior, propositumq; evidentius concludens, idecirco reliquis prætermittis de hac duntaxat sermonem faciemus: Dari aliquid in Entibus effectibile id est, quod ita existat, ut possit etiam non existere, soli illi nesciunt, qui nihil sciunt. Effectibile erit ergo ab aliqua causa: quicquid enim efficitur ex aliqua causa necessario producit, sine qua oriri quicquam impossibile est. Aut igitur effectibile à se aut à nullo, aut ab alio aliquo. Non sane a seipso, quoniam nulla omnino res est quæ seipsam faciat vel gignat, quippe cum causa saltem naturæ ordine, effectum in esse præcedere debeat: Si ergo à seipso quippiam, gigneretur, esset prius seipso, i. e. esset antequam esset. Accedit quod inter causam & causatum ordo essentialis dependentiæ necessariò intercedat, idem autem à seipso pèdere manifestam involvit repugnantiam, cum neq; seipso prius vel posterius esse neq; sine seipso existere possit. Neque rursum à nullo dici potest effectibile, quia nullius est causa illud, quod nihil est, ut ex terminis liquet. Erit ergo effectibile ab aliquo effectivo. Tunc illud aliud vel est primum a nullo alio effectivo pendens omninoq; ineffectibile, & à se solo sine ulla causalitate esse habens, & sic habetur intentum; vel si non est primum, sed posterius effectivum, quia scilicet ab alio, vel alterius virtute effectibile est, detur illud aliud, de quo eodem modo ut prius arguetur, & ita vel proceditur infinitum in efficientibus, quod tamen impossibile esse nō tantum ab Aristotele, verū omnibus philosophis præstantissimis, per omnia quatuor causarum

genera jam dudum ad oculum, tanquam natura & rationi repugnans demonstratum esse novimus; vel standum erit in aliquo simpliciter efficiente, quod erit DEUS Opt. Max: Principium, comprehensioq; omnium & efficiens omnia, quamquidem apud Ethnicos sapientiores, ut ex eorum monumentis apparet, fuisse communem animi de DEO conceptionemprehendimus.

5. Breviter: Aut omne Ens est factum, aut dabitur quoddam Ens non factum & omnino independens. Sed non omne Ens est factum. E. dabitur aliquod Ens non factum, & independens. Major est evidens cum necesse sit ex duobus contrariis alterum cuilibet Enti convenire, cum simpliciter & immediatè repugnent. Min: prob. Omne enim Ens factum ab alio est factum, vel ergo illud à quo factum est etiam est factum vel non Si non factum dabitur Ens aliquod omnino independens ab aliquo effectivo, quod intendimus. Si illud etiam sit factum; ab aliquo effectivo factum sit oportet, de quo prior redit quæstio, & ita tandem sistendum erit in Ente aliquo non facto, & omnino independente, vel dabitur procesus in infinitum, à quo natura abhorret.

6. Verum licet demonstratum omnino dari aliquod Ens increatum & independens, cespitare tamen quis poterat, num illud statim sit DEUS. Nomine enim Dei concipimus Entium omnium, nobilissimum, à quo reliqua omnia dependent. Concedi igitur poterat, dari Ens increatum; & independens verum non unum; sed plura. Quod si plura, nullum ipsorum erit Deus, cum à nullò omnia dependere possint, siquidem unum independentium non dependebit ab altero, & præterea quoq; fieri posset, ne omnia quidem creata ab hoc uno increato dependerent; sed quædam ab hoc, quædam ab illo. A DEO vero uno & solo omnia dependent. Verum enim vero Ens illud increatum & independens unicum esse numero essentialiter ab eoq; omnia dependere, tam est inproclivi probare, quam facile vulpes quod dicitur pyrum comest. Cùm enim audito nomine DEI nos concipiamus naturam quandam perfectissimam, eam etiam unam & singularem esse oportet, cum singularitas DEORUM perfectior sit pluralitate & multitudine eorundem, & quo magis aliquid ab unitate recedit, eò propinquius ad non Ens & imperfecti-

onem

onem accedit. Nobilius vero est Virtute, potentia & imperio alijs omnibus præcellere quam alium æqualē aut superiorē agnoscere, unde & mortales se felicissimos arbitrantur, ubi clavum & eip. soli tenent, robur imperij in se transferunt, & omnia suo arbitrio administrāt. Præterea si plures essent dij, illi aut specie different aut non, si hoc, non poterat eorum certus constitui numerus, non minus enim repugnant sex, octo, duodecim centum, vel alius aliquis numerus; quā duo, & infiniti ponerentur numero, quod certe absurdum etiam multis Ethnicis visum esse supra diximus. Si vero specie differunt, erunt in æqualis perfectionis, & unus altero perfectior, imperfectior vero non erit Deus, quia Deus est Ens nobilissimum & perfectissimum. misellus vero Deus, qui supra se habeat alium, cui obedientiam præstare teneatur. Quid multis? quicquid n. essentialiter est singulare, essentialiter etiam est Unum Unitate numerica, ipsiusq; naturæ repugnat multiplicari in suis inferioribus, & dividi in plura talia quale est ipsum. Sed Ens independens & increatum essentialiter est singulare. E. Ens independens essentialiter erit unū numero, ejusq; naturæ repugnat multiplicari in suis inferioribus, & dividi in plura talia quale est ipsum; Major est evidens ex natura singularis, cui repugnat multiplicari in suis inferioribus i. e. comprehendere sub se plura talia quale est ipsum, cum hoc solius sit universalis. Unde si humana natura esset essentialiter singularis, impossibile esset, nomen comprehendere sub se plures homines, in singulari & individuo, de quibus prædicari posset. Min: prob: Quicquid essentialiter existit, id essentialiter quoq; est singulare; sed Ens increatum & independens essentialiter existit. E. Ens increatum & independens erit essentialiter singulare. Maj: prob: existētia enim nō est nisi singularium Min: prob: Si Ens independens ita existeret, ut existētia nō esset de essentia ipsius, potuisset aliquādo non existere, adeoq; præsupponeretur aliquod prius per quod existeret, & à quo ejus essentia deducta fuisset in actum, atq; ita non esset independens; Sed dependens ab alio, quod contradictionem implicat. Propter ea enim creatura ita existit, ut existētia non sit de ejus essentia, quia creaturā aliquando fuit in potentia ad suum esse & existētia i. e. aliquando caruit existētia, quod
de En-

de Ente independente dici nequit sine repugnantia, cum mutuo se non compatiatur, fuisse in potentia & esse independens sive increatum.

7. Sed obijci nobis poterat: hæc repugnare fidei Christi-
anæ, quæ in sacro sancta Trinitate ponit tres personas realiter di-
stinctas, quarum quælibet sit increata & independens. E. aut non
implicat plura dari increata, aut falsa erit fides Christiana. R.
Controversia jam est de ejusmodi distinctione numerica Entium in-
depēdētiū, quæ importat diversitatē essentialiū numericā i. e. quæ-
ritur an dentur plura Entia in dependentia, quæ habeant essentias
numero distinctas; personæ a. divinæ juxta fidem Christianam
sunt tres in numero personarū, sed non essentialiū cum eadem ha-
beant numero essentiam & naturam simplicissimam; emoritur
igitur exceptio.

8. Nec Majoris momenti est quod obijcit *Aureol.* l. 1. sent.
dist. 3. hisce tantum probari, non dari plura Entia solo numero
differentia; non tamen obstare quo minus dentur plura Entia in-
dependentia Specie diversa R. Quæcunq; differunt specie, etiam
numero distinguuntur, numero. n. diversa dicuntur, quæcunq;
inter se sic distinguntur, ut faciant numerum, ut v. g. homo &
brutum. Quia vero repugnat dari plura Entia increata numero
diversa, multo magis repugnabit plura entia increata dari specie
diversa. Vbi cunq; igitur sunt plura entia specie diversa, necessa-
rio etiam dantur plura numero differentia in quibus species repe-
ritur & de quibus prædicatur. Atq; hæc, quæ nunc diximus adeo
vera sunt, ut multi etiam Ethnicorum pluralitatem Deorum anuum
delirantium fabulis annumeraverint, & quanquam nonnulli te-
ste *Cicer.* l. 1. de naturâ deorum, Deum directe negasse dicantur; ta-
mē idola eos potius & pluralitatem Deorum gentilium risisse *Mor-*
neus probat exemplo *Diagoræ* quæ statuam *Herculis* igne appo-
sitam joculariter ita alloquebatur: In hoc decimo tertio agone ut
quondam *Eurystio* mihi in se vias oportet; cum tamen idem *Di-*
goras poema suum ita ordiatur; quod à numine summo reguntur
omnia. Manet igitur firmum & stabile, sicut in politica magni a-
licujus regni administratione vnum supremum principem con-
sistui videmus, cujus arbitratu administratur Respublica in genere
Entium

Entium & substantiarum constituendam unam supremam substantiam, cujus arbitrio reliquæ omnes gubernantur, juxta Homerum : ἡ ἀγαθὴ πολλοὺς εὐαίη εἰς καίραν ὀρέσθαι.

9. Neq; quenquam hodie cum Epicureis & Democrito adeo intanire arbitror ut casu & cæco fortunæ impetu ex fortuita corpusculorum solidorum & individuorum (quæ atomos vocant) concursu mundum extitisse somniare audeat; si tamen occurreret ejusmodi impuratus & sceleratus Epicuri de græge porcus non immerito ex eodem quæres, num hoc effatum suum: *Non est DEUS* solo casu & cæco fortunæ impetu, absq; ullo consilio & ratione proferat, imprudens & inscius linguam moveat, labia premat, laxet, constringat an v. consilio & ratione ductus, Si illud, me quidem judice non plus fidei ipsi habendum reor quam equo calcitranti & cani mordaci, qui sine consilio, sine prudentia calcibus & moribus petunt dominum à quo sustentantur & aluntur. Præterea talis præ impudentia non animadvertit se sibi metipsum in os impudens contradicere, dum conatur aliis suos errores persuadere, in quorum potestate non magis esset situm, ipsi assentire quàm in ipsius arbitrio hæc deliramenta proponere quomodo ergo, scire poterit aut cerius esse vera se loqui & sentire, non enim persuasio sine consilio aut veritas absq; ratione; casu igitur absq; ratione veritatem sententiæ suæ stabilire & aliis persuadere est cum recta ratione insanire. Sicuti igitur cum cæteris jumentis & bestis non tam ratione agitur & consilio, quàm fustibus, ita immanis ista bellua non rude aut baculo, sed ferro & igni corcenda erit tamdiu, donec fateatur se non casu & fertuito, sed ratione & consilio castigari. Si vero non casu: sed consilio & studio hanc propositionem affirmat linguam torquet & c. mirror profecto, qui sibi persuadere possit, exiguum suum corpusculum, μικροκόσμον & mundulum, satis quidem artificiose constructum, affabrè ornatum, prudentio regi & consilio, Systema vero mundi omnium pulcherrimum, ornatissimum, artificiosissimum, ordinatissimum, cujus magnitudo amplissima, pulchritudo ornatissima, figura & conformatio aptissima casu & fortuna, minime vero ingeniosissimi alicujus artificis, opera & industria existere. Si igitur vox à te emissa, o athere animam tuam vocifer-

B

fera-

feratur suum esse factorem, cujus consilio & virtute profertur, an-
animus tuus, omnium pessimè / nullum recognoscit autorem, cu-
jus virtute sit inspiratus! Si igitur casu & cæco fortunæ impetu
creatura quædam orta est, atheos unicam illam esse crediderim,
vix enim ac ne vix quidem reperias aliquam mentem, quæ mē-
tem tam belluinam producat?

10, Quæ cæco sunt fortunæ volubilis impetu & casu non-
servant eundem & æquabilem tenorē, sed in constanti & per mix-
ta confusione contingunt (ut si jactas in cælum multos
lapillos dispersi recident, iterum jactabis, vix reperies eundem
servare locum & stationem priorem) incertos habent eventus, du-
biosq; exitus sæpe etiam plane contrarios, & eosdem ratio; at quis
contuens cælestem ambitum, cursum solis & lunæ, aliarumq; stel-
larum situs, rationesq; actas in orbem contrarias quidem & di-
versas, sed tamen in diversitate illa æqualiter ordinem servantes,
item solem conspiciens diurno tempore exorientem, lunam vero
noctu apparentem in de mutabili lege pro certo numero dierum
incrementa & decrementa sumere: itē cernens contrarias inter se
naturas coaptatas tamen esse & concordem harmoniam tenere.
Quis hæc animadvertens non ratiocinetur, unam esse vim & po-
tentiam, quæ ista dispenset & gubernet concentum istum, congru-
entiamq; injungat? pro cujus arbitrio omnia ista rite in eo statu
perseverantur, qui tametsi oculis non conspiciuntur ab ordine
tamē & congruentia ista rerum discrepantium, facile eum intellige-
re possumus istorum omnium principem ducem & regem esse. Ut
n. si videas civitatem ex multis variisq; hominibus constantem,
Parvis, magnis, opulentis, pauperibus, senib. juniorib. mari-
bus, foeminis bono ordine rectaq; disciplina coli, eosq; qui inibi
degunt tametsi diversos inter se animo tamē consentire, neq; opulen-
tiores contra pauperes, neq; magnos contra parvos, neq; juvenes
contra senes in surgere; sed omnes æqualitate juris pacem tueri,
si hæc inspicimus, fieri nequit, quin in mentem veniat principis
unibi præsentia; hanc concordiam foveri tametsi in conspectu
ille; non prodeat ita quoq; universitatis hujus ordo & harmonia
omnium istorum, principem dari causam ostendit. Non igitur
mundus casu & fortuito; sed opificis ingeniosissimi sapientissimi
opera

opera & industria gubernatur. At quis opifex, quis architectus ille? Nemo nisi Deus opt. maxim, sapientissimus & potentissimus qui ex liberrima sua voluntate hæc omnia produxit, Cujus timore è medio sublato frustraneæ erunt omnes comminationes, leges etiam vniuersæ telis aranearū similes reddentur in quibus animacula imbecilliora hæreant: fortiora vere percurrant. Quibus sine tamen nulla resp: administrari potest neq; ulla gens tam immanis aut barbara fuit, quin præmia decreverit bonis ut iisdem, veluti escis svavioribus; ad virtutis studiis allecotentur; supplicia v. malis, libidinis cestro precitis, ira & immoderatis affectibus spumantibus & vitam, sanguinem ac facultates sitientibus aliorum Quibus exulantibus omnem simul honestatem exulare necesse est & latissimum nequitiæ campum aperiri.

II. Nec est quod reponant, posse leges, actum obligandi veluti animam & vitam suam retinere, hominesq; illis debitam obedientiam præstare, Etiam si nemo DEUM scelerum vindicem esse cogitat. Verum cum omnis obedientia sit inferioris respectu superioris, multi vero Reges & Principes superiorem præter Deum non agnoscant, per quemnam tyrannis & extrema eorundem malitia, quæ non raro misere in facultates corpora & conscientias subditorum grassantur, coerebit? quis frenabit damnabilem, hanc licentiam, tyrannidem abominandam & lascivam superbiam? Cum igitur Deus sit ultimus finis omnis virtutis & honestæ operationis, cui tamquæ merito præmium nullum: atheis proponitur, nonne eo ultore sublato, momento statim evanescet virtutis & honestatis præscriptum? adulteria homicidia, probra cæteraq; flagitia impune exercebuntur? Neq; atheus reprehensione dignam judicare aut de adulterio commisso cum uxore suâ expostulare potest, quia misera nihil commisit contra ipsum adulterio magis, quam Filium trahendo & fustum rotando; *sed coronare se voluit floribus antequam marcescant, ut nemo ejus exp. s. esset luxuria*, cum nullum pudoris illibati & honestæ vitæ præmium expectandum habeat. Quod si alapis densissime etiam onerares atheum & probe ipsum depexum dares ad necem usq; tecum agere de injuria non poterit, sublato n. DEO & virtutis præscripto quid præstabilius esset quam propriam monetam ipsi

numerare & se excusare illo impiorum: Fortitudo nostra erit
lex iustitiæ nostræ, hæc n. est pars nostræ, & hæc est jors nostræ! Dig-
num, ita me Deus amet! patella operclum.

12. Valeant igitur cum monstruosa sua opinione flagitiõrũ
magistri & Diaboli emissarij in eodem cum præceptore suo ludo
edocti, quos contra satis probatum esse arbitror dari Entium ali-
quod primum plane independens, illudq; omnium nobilissimum
quod DEUM vocamus; verum illud quoq; quicquid uspiam per-
fectionis reperiri potest vel formaliter vel eminenter includere.
Ominis n. perfectio quæ est in rebus vel capit esse vel non capit.
Si hoc, erit perfectio ipsius DEI tanquam Entis infiniti & increati.
Si v. sit, ab alio, eam in cepisse necesse est; Cum vero nihil fiat à
se ipso, omnino sequitur quicquid perfectionis reperitur in Ente
finito & creato, id quoq; reperiri in sua causa. Ergo etiam in
causa prima à qua esse reliquarum omnium dependet.

13. Vnde simul inferimus summæ & infinitæ Dei bonitati
& perfectioni repugnare nullam, ut Athei somniant, hominis
tanquam creaturarum omnium visibilium nobilissimi habere
curam, imprimis quo ad æternam salutem & animæ immortalita-
tem; Non n. exigua pars bonitatis & perfectionis est de salute
suorum cogitare, omnia quæ ex usu ipsorum sunt præstare, sicut
philosophia quam cum brutis communem habemus docet, cujus
impulsu omne animal suorum fœtuum curam gerit, ut bruto sit
deterior, & Ethnico pejor, qui suis non prospicit de necessarijs.
Deus v. benignissimus totius universi conditor & parens affatim
ea præstat quæ mortalem hanc vitam & fragilem corporis nostri
solliculum concernunt, cur negligat ea, quæ ad immortalem & æ-
ternam hominis vitam faciunt, qua sine miserrima certe esset ho-
minis conditio, & brutis merito postponenda, quæ curis soluta,

& de futuris minime sollicita, non nisi pabulum meditan-
tur & venerem; cum homines omnis generis curis,
animi, ægritudini & periculis singulis
momentjs subijciantur.

Se-

Secunda quaestio

An anima rationalis sit immortalis?

1. Reperiuntur quoq; hac nostra tempestate nonnulli, qui ut libere possint luxuria i & in omne scelus & flagitium laxis habentis sese inferre atq; effundere, & funditus Christanam pietatem evertere & uno ictu praescindere, negant animae immortalitatem cum *Saducan* magnae olim autoritatis apud Judaeos viris *Matt. 22. & act. 23* dicentes cum impiis apud *Eclesiastem c. 3. v. 19.* unus interitus est hominis & jumentorum & aqua utriusq; conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia & nihil habet homo jumento amplius ex Ergo *Esa, 22, 13.* comedamus & bibamus, cras n. moriemur, & belluina opinione *sap. 2.* Exiguum & cum radio est tempus vitae nostrae & non est refrigerium in sine hominis & non est quod agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus & post-hac erimus tanquam non fuerimus, venite igitur & fruamur bonis quae sunt, vino precioso & unguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratium, quod non pertransseat vita nostra. Nemo nostrum expers sit luxuriae nostrae, quoniam haec est pars nostra & haec est sors nostra. Quibus subtiliores fuerunt nonnulli haeretici teste *August: l. d. haeres. 85. & Euseb. l. 6. histor. Ecclesiast. c. 27. in.* partibus *Arcadiae* circa annum 24. statuentes animam, quidem interire cum corpore; sed in communi mortuorum resurrectione reviv. scere. Alij immortalem quidem animam assererant, verum non ex sua naturae conditione, quae potius interitui & corruptioni esset obnoxia; Sed ex singulari Dei gratia conservata & praeservata eam ab interitu, veluti si equo per speciale Dei voluntate existeret perpetuo, immortalis ille diceretur non per naturam; sed gratiam, quomodo etiam nonnulli proteplastas nostros, si in statu innocentiae & integritatis perseverassent, immortales & incorruptibiles fuisse asseverant, sed singulari DEI dono & gratia. Quidam deniq; temperantius loquentes dixerunt, saltem non posse convinci aut ostendi principiis naturae animae immortalitatem; sed probabilibus tantum rationibus *ut scer. 2. dist. 43. q. 2.*

2. Horum sententias autequam expugnemus, animamq; sua natura; non ex gratia tantum immortalem & incorruptibilem esse ostendamus prælibaudum, immortale & incorruptibile h. l. non sumi pro eo quod adeo necessariū est ut repugnet&implicet desinere esse, quomodo solus Deus est immortalis, qui cum in suo esse à nullo priore dependeat, non etiam ab aliquo potest destrui, è contra v. omnis creatura & sic ipsa etiam anima rationalis cum in esse & conservari à causa superiori dependeat, ab eadem vicissim destrui & annihilari posse recte dicuntur; Sed sumitur pro eo, quod non habet sua natura principium corruptionis intrinsicum, sive proximum sive re motum, neq; ulla vi causarum naturalium obire diem potest, licet ab agente supernaturali destrui non repugnet, hoc igitur sensu dicimus.

3. Animam rationalem sua natura & essentia esse incorruptibilem & immortalem; quia: omne spirituale & immateriale, sua natura est incorruptibile & immortale, idq; ex natura spiritus & corporis manifestum est. Sed anima rationalis suâ naturâ est spiritualis & immaterialis E. anima rationalis sua natura est incorruptibilis & immortalis. Min. pr. anima spiritualis est perceptiva objectorum spiritualium Dei, scilicet & Angelorum, eadèq; à rebus materialibus dividit & distinguit. E. ipsa quoq; erit immaterialis. Potentia n. materialis non potest percipere objectū spirituale, objectum n. ejus adæquatum est materiale, ut patet discurrendo per omnes sensus percipientes solas materiales qualitates lucem, colorem, sonū, odorem, saporē, calorem & frigus durum & lenē, tum quia sensus etiam interni, non percipiunt nisi objecta sensu externo percepta, Sed nulla alia est cognitio materialis præter cognitionem horum sensuum E. omnis cognitio materialis tendit in objectum materiale. Potentia v. non potest elevari ad objectum non contentum sub objecto ad æquato ipsius, siquidem tum exerceret suum actum circa aliquid, quod tamen sub objecto suo non contineretur, & idem esset, ac si diceres visum posse percipere saporē & aurem colorem, quod certè absurdum est & absurdum. Deum v. & Angelos qui cognoscere se negat, quid dicat nescit, suisq; verbis convinciatur & propria vinceta

vineta cedere cogitur. Quomodo eos enim negaret, nisi deis aliquem formasset conceptum; secunda n. mentis operatio, affirmatio scilicet & negatio, quæ aliis dicuntur iudicium intellectus necessario præsupponunt simplicium apprehensionem, quæ prima dicitur mentis operatio, Quod igitur non apprehendis, quo ore quæso alteri in esse vel non inesse negas?

4. Deinde cuiuscunq; operationes sunt immateriales, illud ipsum quoq; immateriale sic oportet, nihil n. agit ultra suas vires, & ex modo operandi deducimur in cognitionem essentia rerum, cum operatio dimanet ex natura & essentia rei. Sed operationes animæ sunt immateriales E. Min. pr. Quicquid n. in operando & cognoscendo à materia dependet & organo aliquo corporeo, id tantum singularia in actibus universalibus cognoscit, unum ex altero non deducit, definit, dividit, multo minus supra se ipsum & actus suos, quibus se dirigat, reflectitur. Hæc omnia v. & singula cum præstet anima rationalis, operationes ipsius non materiales, sed immateriales esse, liquido fluit; Alias n. quid obstat, quo minus & sensus & corpus idem præstare poterant? Quid v. notius est quam intellectum nostrum relictis conditionibus singularibus universalis cognoscere, superiora ab inferioribus abstrahere? Homo etiam cognoscendo ita ducitur, ut ex uno principio plures deducat conclusiones in quo mirus est in reddenda ratione omnium, in resellendis argumentis contrariis, actibus suis cognoscendis inter se comparandis & singulari artificio unum præ reliquis eligendo, exercendo dominium & potestatem suam. Quas omnes cognitiones brutum non habet, quod si eas haberet, signis proculdubio quibusdam ostenderet. Nullum n. brutum interne operatur, quin internam illam operationem gemitu vel alio quodam signo externo ostendat. Non quidem insiciari possumus tam nobiles & præclaras in bestiis que neq; arte, neq; deliberando agunt, quoq; operationes conspici, ut teste Aristoteli: a. phys: merito quidam dubitent utrum intellectu aut quodam alio operentur, ut Aranea. formica. hirundo & alia. Hirundo n. ad excludendos pullos suos eosq; nutriendos nidum sibi construit sub celsa trabe ut q; illud formet ex aqua & luto bitumē consicit, deinceps omnia ad adiculam suam necessaria parat ut parvū vel nihil differre videatur ab architecto. qui domū sibi contra externas injurias cōsicit; neq; minore artificio laxas in foribus suspendit aranea casset; Illis tamen plus non inferetur, quam singulari numeris

minis providentia animantia etiam brutâ operari propter certum aliquem finem, quem licet formaliter non cognoscant in illum tamen diriguntur & ordinantur à suprema intelligentia, ut verissimè de illis dicatur: opus naturæ esse opus intelligentiæ adeoq; dari aliquam quarundam bestiarum vicinitatem & analogiam ad hominem, in quibus reperiantur simulacra quadam rationis & virtutis, non secus atq; in homine divinitatû quadam vestigia conspicimus ob quæ heu yévos isquev, progenies Dei sumus Arato & Pythagoræ, ex quibus tamen inferre nemo audebit. Deum æque atq; hominem constare anima mortali & corruptibili, nisi qui omnem humanitatem abjurarit, aut ovis xpi ovos nepedav asipi aut suis cor habeat. Quemadmodum igitur ex eo quod artificiosissimum Argentinensium horologio apparet, nemo ea anima & ratione prædita esse colligit, sed hæc tantum à superiore aliquo principio à quo in finem suum diriguntur proficisci colligit. Ita nemo prudens ex vestigiis illi in brutis sibi visis brutorum conditionis se annumerabit. Et quis nescit inter homines quidam latratus gannitus, ululatus animalium & volucrum joco exacte imitari, volucres tamen & conditioni brutorû pares nemo facile eodem dixerit, ut ita manifeste sit deperçia hys diavolâs & menti deliratio, statuere operationes hominis perfectiores non arguere animam perfectioris naturæ & conditionis, sed tantum dependere à perfectiore nobiliorum organorum apparatu, cum dicente Philosopho i. de part. animal. c. 5. instrumentum rei alicujus gratia sit & partes corporû quasi gratia alicujus esse videamus, quæ propter corpus totum etiã anime gratia conditum est, membra officiorum gratia constant & munerum ad quæ singula accommodantur, sicut igitur sectio non ferræ gratia facta est, sed ferræ sectionis gratia, ita anima non organorum gratia, sed organa anime gratia condita sunt adeoq; organa nobiliora arguunt quoq; causam principalem animam se. perfectiorem & nobiliorem. Finis n. cuius rei est, ejus operatio, quæ principaliter dependet à forma; ab organo v. tanquam causis instrumentalibus, quæ non agunt nisi mota à causa principali à qua etiam ut eleventur opus habent ad effectum producendum.

5. Quid? quod brutâ tam perfectos, imò v. multò perfectiores habent sensus quam nos, non tamen exercere possunt operationes intellectus & voluntatis, quæ in principij longe nobilio-

vidi page 113.

